

DECLARATIO FIDEI .S. HIERONIMI

EPISTOLA .XLII.

143

agnitio; qui sacrorum voluminum numerus; quare hereticorum vitanda conventicula; utque in peccatorum remissione diuinæ libertati nequaquam ratio naturalis obsistat. Et ut carnis nostræ resurrectionem non solum diuinæ vocis sed & ipsi domini & saluatoris nostri exemplum & consequentia naturalis rationis assignet. Si in hoc secundum traditionis supra expositæ regulam consequenter aduertimus deprecemur; ut nobis & omnibus qui hoc audiunt concedat dominus fide quam suscepimus custodita; cursu consummato expectare iusticiam repositam coronam; & inueniri inter eos qui resurgunt in vitam æternam. Liberari vero a confusione & obprobrio æterno per Christum dominum nostrum; per quem est deo patri omnipotenti cum spiritu sancto gloria & imperium in sæcula sæculorum; Amen.

**Expositio fidei beati Hieronymi presbyteri ad Damasum papam: In qua hæreses plurimas de trinitate & incarnatione verbi impie sentientes damnat; petens suam fidem a Damaso commo-
probari.**

EPISTOLA

.XLII.

Quod credimus in deum patrem omnipotentem cunctorum visibilium & inuisibilium conditorem. Credimus & in dominum nostrum Iesum Christum; per quem creata sunt omnia verum deum unigenitum & verum dei filium; non factum aut adoptiuum; sed genitum; & unius cum patre substantiam; atque ita per omnia æqualis deo patri; ut nec tempore; nec gradu nec potestate possit esse inferior. Tantumque confitemur esse illum qui est genitus; quæ est illi qui genuit. Non autem quia dicimus genitum a patre filium diuinam & ineffabilem generationem; aliquid ei tempus ascribimus; sed nec patrem aliquando cepisse; nec filium. Non enim aliter confiteri possumus æternum patrem; nisi confiteamur etiam coæternum filium. Ex filio enim pater dicitur; & qui semper pater fuit; semper habuit filium. Credimus & in spiritum sanctum; verum deum ex patre procedentem; æqualem patri & filio potestate; voluntate; æternitate; substantia. Nec est prorsus aliquis in trinitate gradus nihil quod inferius superiusve dici possit; sed tota diuinitas sui perfectiõe æqualis est; ut exceptis vocabulis quæ proprietatem personarum indicant; quicquid de vna persona dicitur; de tribus dignissime possit intelligi. Atque ut confundentes Arium; vnam eandemque dicimus trinitatis esse substantiam; & vnum in tribus personis fatemur deum; ita impietatem Sabellij declinantes tres personas expressas sub proprietate distinguimus; non ipsum sibi patrem; ipsum sibi filium; ipsum sibi spiritum sanctum esse dicentes; sed aliam patris; aliam filij; aliam spiritus sancti esse personam; non enim noia tantummodo; sed etiam nominum proprietates. id est. personas; vel ut greci exprimunt hypostases hoc est substantias confitemur. Nec pater filij aut spiritus sancti personam aliquam excludit; nec rursus filius aut spiritus sanctus patris nomen personarum recipit; sed pater semper pater est; filius semper filius; spiritus sanctus semper spiritus sanctus. Itaque substantia vnum sunt; personis ac nominibus distinguunt. Ipsum autem dei filium qui absque initio æternitate cum patre & spiritu sancto posedit; dicimus in fine sæculorum perfectum naturam nostram hominem suscepisse ex Maria semper virgine & verbum carnem esse factum; assumendo hominem; non permutando deitatem; nec ut quidam sceleratissime opinantur; spiritum sanctum dicimus fuisse per semine; sed potentia ac virtute creatoris operatum. Sic autem confitemur in christo vnam filij esse personam; ut dicamus duas esse perfectas atque integras substantias; id est. diuinitatis & humanitatis; quæ ex anima continetur & corpore. Atque ut condemnemus Photinum qui solus & nudus in christo hominem confitetur. Ita anathematizemus Apollinarium & eius similes; qui dicunt dei filium minus aliquid de humana suscepisse naturam; & vel in carne vel in anima vel in sensu assumptum hominem his propter quos assumptus est fuisse dissimilem; quæ absque sola peccati macula (quæ naturalis non est nobis) confitemur fuisse conformem. Illos quoque similiter execramur blasphemiam; qui nouo sensu asserere conantur a tempore susceptæ carnis omnia quæ erant deitatis in hominem demigrasse; & rursus quæ erant humanitatis in deum esse transfusa; ut quod nulla vniquam hæresis dicere ausa est; videatur hac confusione utraque exinanita substantia diuinitatis scilicet & humanitatis; & a proprio statu in aliud esse mutata; qui tam deum imperfectum in filio quam hominem confitentur; ut nec deum verum nec hominem tenere credant. Nos autem dicimus susceptum a dei filio passibile nostrum; ut diuinitas impassibilis permaneret. Passus est enim dei filius non putatiue; sed vere omnia quæ scriptura testatur; id est esuriem; sitim; lassitudinem; dolorem; mortem & cuncta huiusmodi. Secundum illud passus est quod pati potuit; id est non secundum illam substantiam quæ assumptum fuit; sed secundum illam quæ assumpta est. Ipse enim dei filius secundum suam deitatem impassibilis est ut pater. incomprehensibilis ut pater; inuisibilis ut pater; & quæuis propria persona filij; id est dei verbum suscepit passibile hominem; ita tamen eius habitatio secundum suam substantiam deitas verbi nihil passa est; ut tota trinitas; quam impassibilem confiteri necesse est. Mortuus est ergo dei filius secundum scripturas; iuxta illud quod mori poterat. Resurrexit tertia dei. Ascendit in caelum; sedet ad dexteram dei patris; manente ea natura carni; in qua natus & passus est; in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est huma-